

denter de Statibus Imperii Romano-Germanici, è quibus multi similia privilegia ab Imperatoribus impetrarunt; de quo alibi.

80 Neque tunc Supremus Princeps titulo proprietatis disponit de bonis subditorum, sed titulo domini Jurisdictionis, cujus fructus, proventus, & emolumenta aliis bene meritis ex speciali favore concedere non prohibetur.

81 Ad VIII. Resp. jus certum immunitatis, quod favet subditis, æquè in hac quàm alia materia, superveniente Præscriptione adimi; posseque aut ex conniventia Supremi Principis collectas, illi cæteroquin in casu necessitatis aut utilitatis publicæ debitas, ab inferiori Principe præscribi; aut, si bona fides & cætera concurrant, collectas quoque particulares aut provinciales, suffragante Præscriptione, acquiri.

82 Ad IX. Resp. per sententiam adversantem majus induci periculum, si non rapinarum, saltem rebellionum, seditionum, aliarumve injustiarum, si subditi collectas, ab antiquissimo tempore semper præstari solitas, ea solum de causa impostero detrahere valeant, quòd jure Præscriptionis jus collectandi introduci nequeat.

83 Ad X. Resp. illud motivum contra quamlibet Præscriptionem tam quoad collectas, quàm servitutes, operas, & quælibet onera vel obligationes militare; indeque, si pondus aliquod haberet, omnem Præscriptionem inter Superiores & inferiores omninò fore abolendam: quæ deductio, cum planè noscatur absona, & Juribus praxique adversa, antecedens, unde derivatur, non potest esse majoris considerationis.

CAPUT VI.

De Effectu Præscriptionis.

CAPUT VII.

De Contrariis Præscriptionis.

DE utroque hoc Cap. satis dictum fuit in Tractatu; indeque non reputo necessarium, ut plura addantur.



SUPPLEMENTUM

AD

TRACTATUM III.

DE

MODIS ACQUIRENDI, ET AMITTENDI PRÆLATURAS ECCLESIASTICAS.

CAPUT I.

De Electione.

SUMMARI A.

1. & 2. Quò sensu electio forma in assumptione Coadjutoris sit adhibenda? 3. Capitula Germania habent jus eligendi. 4. & seq. Etiam si post Concordata erigatur nova Cathedralis. 6. In casu unionis spectat electio ad Capitulum Ecclesie, cui facta est unio. 7. In casu unionis sine suppressione pertinet ad Capitulum utriusque Ecclesie. 8. Ubi unus Episcopus præst pluribus Episcopatibus, cuilibet Ecclesie manet suum jus. 9. & seqq. Discutitur, sine danda electio, quando aliquis potest nominare quatuor, ex quibus unum Capitulum eligere tenetur? 14. An extraneus, in quasi-possessione juris eligendi constitutus, possit eligere? 15. & seqq. Tenetur & probatur affirmativa. 20. & seq. An Capitulum possit admittere procuratorem absentis, legitimè non impediti? 22. & seqq. Electus non debet esse necessario de gremio. 25. & seq. Refusatur doctrina contraria. 27. & seq. Ponitur limitatio. 29. & seqq. Nonnulla motiva pro licita electione digni pra digniore. 33. & seqq. Eliduntur. 38. & seqq. Elucidatur S. Thomas. 43. Insinuat exceptione. 44. & seqq. A quonam absentes sint censendi? 47. & seqq. A quonam terminus, electioni præfixus, restringi possit? 53. & seqq. An præcisè electio in statuto termino institui debeat? 56. & seqq. An & qualiter electio per inspirationem sit verus modus eligendi? 59. & seqq. Qualis in ea consensus requiratur? 64. An possit cadere in extraneum? 65. & seqq. Disquiritur, an exuberantia schedarum vitiet electionem? 72. Refertur mens Fagna-

ni. 73. & seqq. Ofsenditur, quòd schedula alba habeatur pro nullis. 76. & seqq. Rejicitur electio per accessum & acclamationem. 79. Post primum scrutinium non-canonicum devenitur ad aliud. 80. & seqq. Vel ad compromissum. 85. & seq. Resp. ad rationem contrariam. 87. & seqq. Docetur, quomodo liceat variare votum ante publicatum Scrutinium. 92. & seq. Explicatur, quomodo vota debeant esse secreta? 94. Quot modis vota propalantur? 95. & seqq. An propalatio intra electionem vitiet? 100. & seqq. Utrum ante electionem? 104. & seqq. An postea? 107. An possit fieri sine peccato? 108. & seqq. Si prima die non habeatur electio canonica, potest in secundum differri. 111. Anegata dilatio ne datur appellatio. 112. & seq. An interposita appellatione valeat electio? 114. & seq. Schema instrumenti electionis per Scrutinium. 116. & seqq. Electus potest administrare, quando obtinuit beneplacitum Apostolicum. 119. & seqq. Potest etiam Ordines conferre, vel hanc facultatem delegare. 122. & seqq. An & quomodo confirmatio suppleat defectus electionis? 127. & seqq. Quas penas incurrat Episcopus, consecrationem non recipiens? 134. & seq. Quid si ante consecrationem vitietur corpus? 136. & seqq. A quo Pallium conferatur? 140. & seqq. Notantur aliqua de usu Pallii. 149. & seqq. Specialia de electione Pontificia. 160. & seqq. Generalia & singularia de electione Regularium. 173. & seq. Nova constitutio de benedictione Abbatum.

QUÆSTIO I.

An in assumptione Coadjutoris cum spe futurae Successionis ea servari debeant, quæ in Electionibus Prælatorum observantur?

- 1 Dixi in hoc cap. num. 14. quodd, si contin-
gat, ut, vivente Prælatò, quispiam in
Coadjutorem cum spe certæ successionis assu-
matur, Electionis forma accuratè non debeat
2 attendi. Ne verò aliqui hæc dicta in partem
sinistram accipiant, quasi scilicet assumptio

Coadjutoris perpetui absque omni forma
possit fieri, per plures quæstiones hanc ma-
teriam ex instituto examinavi in *Consult. Ca-
nonicis de Coadjutoribus & Coadjutoriis perpe-
tuis consuleat. 5. 6. 7. & 8.* quorsum mea
remitto.

QUÆSTIO II.

Quenam Capitula jus liberæ Electionis habeant?

- 3 Capitulis Ecclesiarum Germaniæ vi Con-
cordatorum, inter Nicolaum V. Pon-
tificem & Fridericum III. Imperatorem jus
liberæ Electionis competere, insinuatum est
in hoc cap. n. 65. & seq. Unde
4 Infertur I. in casu, quò Papa in Germa-
nia ex causis legitimis erigat novam Eccle-
siam Cathedralè, Canonicis Ecclesiæ, no-
viter erectæ, jus eligendi proprium Prælatum
competere. Carolus Felix de Matra de *Con-
cordat. n. 221. & seq.* D. Antonius Flavius de
5 Santis in *Exam. Consistor. cap. 12. n. 44.* tum
quia Concordata Germaniæ loquuntur inde-
finitè; proindeque universaliter debent in-
telligi: tum quia privilegium eligendi, con-
cessum Nationi Germanicæ, tanquam locale,
ad omnes personas ejusdem loci extenditur
per cap. *executionem 9. de Privileg. in 6.*
6 Infertur II. in casu altero, quò una Eccle-
sia electiva ex causis Canonicis supprime-
tur, & alteri subiceretur, Electionem perti-
nere ad solos Canonicos Ecclesiæ, cui Eccle-

sia suppressa fuisset unita: cum in ipsam
transiverint omnia jura, privilegia, & prero-
gativæ, quæ Ecclesia suppressa antea habuit;
solumque attendatur qualitas & natura be-
neficii principalis, non autem annexi. Mat-
ta *d. l. n. 226. de Santis num. 45.*

Infertur III. in casu, quò ex duabus Ec-
clesiis fieret una, ut, qui essent Canonici in
una, essent simul Canonici in altera; uti &
si utraque Ecclesia maneret Cathedralis, sed
unus utriusque Episcopus (cujusmodi unio-
nes in Germania raræ vel nullæ sunt) Ele-
ctionem Episcopi, veluti communis patris, ad
Canonicos utriusque Capituli spectare. Mat-
ta *d. l. n. 228. & seq. de Santis n. 46.*

Infertur IV. in casu admodum frequenti
apud Germanos, quò ex dispensatione Apo-
stolica unus Episcopus habet plures Episcopa-
tus, ita ut nullus alteri uniatetur aut subji-
ciatur, Episcopò mortuò, unumquodque Ca-
pitulum Electionem privatè quod alia insti-
tuere. De Santis *d. l. n. 48.*

QUÆSTIO III.

*Sitne dicenda Electio, quando v. g. Princeps aliquis potest nominare
quatuor, ex quibus Capitulum unum eligere tenetur?*

- 7 Proponit hanc quæstionem Eminentiss.
Card. Petra in *Comment. ad Constit. Apostol.
tom. 5. pag. 9. & 10. sub n. 7.* occasione con-
cordiæ, anno 1512. inter Regem Sigisman-
dum I. Poloniæ, & Warmiense Capitulum.
initæ, atque à Leone X. roboratæ, vi cujus
eveniente vacatione Ecclesiæ Warmiensis,
Capitulum Regi transmittere tenetur cata-
logum Canonicorum & Prælatorum eligibi-
lium, è quibus Rex quatuor nominare, & ex
his quatuor nominatis Capitulum unum as-
sumere potest in Episcopum, quem melio-
8 rem & utiliore judicaverit. Quæstus
de suo voto præfatus Cardinalis in Congre-
gatione Consistoriali, habità die 4. Julii 1724.
an sit dicenda Electio? Respondit negativè:
quia in Electione debet esse libertas apud Ele-
ctores, sinè qua libertate nequit considerari
quidditas Electionis Canonicæ, consistens in
libertate Eligentium, assumendi, quem pu-
taverint dignum ex quibuscunque corpori-

bus cap. cum terra 14. cap. quod sicut 28. cap.
sacro sancta 51. de Elect. Sed neque dici
posse provisionem, ad supplicationem Regis
factam, ulterius idem Author advertit: quia
Rex non nominat, seu supplicat pro persona
sibi bene visa, sicut evenit in aliis Ecclesiis,
quæ providentur ad ejus supplicationem,
sed promovendus juxta dictam concordiam
debet nominari à Capitulo ex quatuor ei-
dem à Rege nominatis. Unde censuit,
non esse propositionem faciendam, neque
juxta terminos Canonicæ Electionis factæ;
neque ad supplicationem Regis, sed fieri
debere juxta veritatem facti, quòd scilicet,
præviò actu ad formam concordiæ, perso-
na nominata à Capitulo ad supplicatio-
nem Regis in Consistorio per Papam ad-
mittatur. Cui voto conformiter
die 31. Augusti d. anno 1724. prodit
resolutio: proponendam esse Ecclesiam, si
Sanctissimo placuerit, cum sequenti expressio-
ne:

ne: ad supplicationem Serenissimi Regis Po-
loniæ, præviò actu Capitulari Canonicorum di-

ta Ecclesia, factò ad formam Concordiæ in-
ta &c.

QUÆSTIO IV.

*An, qui constitutus est in quasi-possessione juris eligendi, motà
desuper lite, possit eligere?*

- 14 IN hoc cap. num. 164. tenui affirmativam;
quam tamen Matra de *Causis Consistorial.
Sect. 19. §. 2. num. 3.* limitandam putat, quan-
do possessor non est unus de Collegio: quia
enim tunc præsumptio Juris est contra pos-
sidentem, ab eo possessionem suam aliquò ju-
stò titulo probandam concludit per cap. in
15 literis 5. de Restitut. spoliat. Verum huic li-
mitationi absolutè subscribere nequeo: par-
tim quia *cit. cap. in literis 5.* magis adversatur,
quàm suffragatur, dum etiam is, qui in pos-
sessione beneficii erat, & ab adversario, à quo
de possessione defectus fuerat, canonicè in-
stitutus esse negabatur, non obstante con-

traria Juris præsumptione, restituendus esse
dicitur: partim quia in cap. cum Ecclesia 7. de
16 *Causa possess. & propriet.* Electio in Ecclesia
Cathedrali Sutrina irritatur, quòd ad eam
non fuerint admissi Clerici extranei Conventu-
alium Ecclesiarum, qui trinis Electionibus
immediatorum Antecessorum interfuerant,
& sic in quasi-possessione Electionis extite-
rant: partim quia possessio, saltem longi aut
17 longissimi temporis, nititur fortiori præsum-
ptione, eamque, quæ ex Juris assistentia ex
adverso militat, vincit & superat ex
conclusis in lib. 2. tract. 3. cap. 3. à nu-
mer. 70.

QUÆSTIO V.

*Utrum post Concilium Tridentinum possit in Electione constitui procu-
rator cum speciali mandato de certa persona?*

- 18 Negat id Matra *d. l. num. 28.* quia per *cit.*
Concil. *Sess. 25. de Regular. cap. 6.* præ-
ceptum est, ut Electiones celebrantur per
vota secreta; ideòque Sacra Congregatio
respondit per hæc verba: *procuratores legitime
constituti non excluduntur, dummodo non ha-
beant speciale mandatum de persona eligenda, quia
19 tunc votum non potest esse secretum.* Quòd si
tamen in constitutione procuratoris cum spe-

ciali mandato observarentur, quæ notavi in
hoc cap. num. 785. ut nempe mandato procu-
ratorio inferatur schedula clausa, non ape-
rienda à procuratore, usquedum ad Scruti-
nium deveniatur, in qua nomen personæ eli-
gendæ scriptum fuerit: non improbabile ju-
dicarem, nihil contra dispositionem Conci-
liorem actum iri, ex quo votum secretum
manet.

QUÆSTIO VI.

*An Capitulum possit admittere procuratorem, ab absente, legitime
non impeditò, constitutum?*

- 20 Abbas ad cap. quia propter 42. §. illud autem
de Elect. num. 1. affirmat: quia, tamen in
cit. §. interdicatur, ne procurator admitta-
tur, ubi deest impedimentum legitimum;
attamen hujusmodi interdictum emanavit
in favorem aliorum Capitularium, qui, sicut
communicare possunt jus eligendi penitus
extraneo per cap. scriptum est 40. ubi idem Ab-

bas num. 11. de Elect. ita etiam & multò ma-
gis possunt admittere procuratores eorum,
qui sunt de Collegio. Verum, ut scribit
21 laudatus Matra num. 32. Rota Romana in
Leodiens. Præpositura coram Peutingger 30. Maji
1639. n. 11. tenuit, procuratores absentium
non fuisse admittendos, ex quo non constabat
de legitimo constituentium impedimento.

QUÆSTIO VII.

*Utrum eligendus in Prælatum debeat esse de gremio Ecclesiæ
vacantis?*

- 22 Respondi in *præf. cap. num. 245. & seqq.* id
quidem esse de honestate: quippe, ut
loquitur Cœlestinus Papa in cap. nullus 13.
dist. 61. *eius alter de altera eligatur Ecclesia, si
de civitatis ipsius Clero, cui est Episcopus ordinan-
dus, nullus dignus (quòd evenire non credimus)
poterit reperiri: primum enim illi reprobandi sunt,
ut aliqui de alienis Ecclesiis merito præferantur:
habeat unusquisque fructum sua militia in Ec-*

clesia, in qua suam per omnia officia transegit at-
tentionem: in aliena stipendia minimè alter obrepit, nec
alii debitam alter sibi vindicare audeat merce-
dem; At non admittit, quòd sit de præcisa ne-
cessitate, quasi nempe, si quis ex alia Eccle-
sia assumeretur, Electio non valeret: quòd
enim valeat, apertè decidit Innocentius III.
in cap. cum inter 21. de Elect. ubi Electionem,
à Capitulo Saonenfi de Præposito Hastensi fa-
ctam,

Etiam, approbat, rejecta exceptione, tanquam frivola, quâ dicebatur, ad aliam Ecclesiam non debere fieri transmissio, donec reperiretur idoneus
 24 in Ecclesia Saonensi. In cujus confirmationem facit, quod altifatus Papa Constantino-politano Patriarchæ insinuari voluit in cap. ad decorem 5. de Instis. ut viros literatos, & alios idoneos, undecunque originem duxerint, in prae-dictis Ecclesiis, & maxime in majori, insinuere non possint.

25 Quamobrem non bene capio doctrinam celeberrimi ceteroquin Mattæ de Consistorial. caus. d. sect. 19. §. 1. n. 3. adstruentis, quòd, si major pars Capituli eligit extraneum, & minor pars eligit de gremio Capituli, sustineatur Electio pauciorum, cum eligant secundam formam Canonice de eorum gremio.

QUÆSTIO VIII.

Utrum Electio digni sit licita, prætermisso digniore?

29 Quòd minimè liceat, solidè, ut opinor, ostendi à num. 272. consentientibus vix non omnibus, qui post Concil. Trid. & propositiones, ab Innocent. XI. damnatas, scripserunt. Equidem Matta cit. l. asserere non reformidat, quòd opinio Abbatis, qui non eligentes magis idoneum peccati arguit, non videatur subsistere, ex quo Electio de idoneo, dummodò à majori parte sit facta, reputatur valida cap. quia propter 42. & 31 cap. cum in cunctis 7. de Elect. Unde concludit, quòd, cum Jus Canonicum, in quantum disponit pro foro judiciali, semper disponat in animæ salutem, per consequens, si Electio de idoneo est valida in foro judiciali, sit etiam valida in foro conscientie: quia, ut prosequitur idem Matta, Jus Canonicum nunquam inscit laqueum, neque defendit in peccatis; quod tamen faceret, si peccarent, qui exercent actum autoritate Canonis.

32 Idque confirmari putat ex D. Thoma 22. q. 185. art. 8. & August. de Ancora de pos. Eccl. q. 3. art. 4. concludentibus, esse quidem de consilio, non autem de præcepto, ut eligatur melior: cum sufficiat, eligere bonum per textum in d. cap. cum in cunctis.

33 Sed præfictò hoc argumentum nullius valoris est. Multa siquidem juxta Pontificem Innocent. III. in cap. ad Apostolicam 16. de Regular. fieri prohibentur (& sic illicita sunt) quæ, si facta fuerint, obtinent firmitatem; velut constat de Matrimonio, quod sine denuntiationibus, & cum impedimento impediendo validè
 34 contrahitur, non tamen licitè. Unde regula illa, quòd, quæ valida sunt de Jure Canonico pro foro judiciali, sint etiam valida pro foro conscientie, potest quidem accipi, prout jacet, sed non in sensu Auctoris, ut simul etiam pro foro conscientie sint licita, nisi per ly licita velimus intelligere ea, quæ retinentur validè, retineantur etiam licite.

35 Occurrunt nempe multoties aliquæ circumstantiæ, in quibus Legislator actum

Siquidem prælaudatus Pontifex Electionem 26 dicti Præpositi, non attentâ mox explicatâ exceptione, ex eo solo confirmari jubet, quòd constat, eam à majori & saniori parte Capituli celebratâ fuisse, publicatam etiam, & subscriptam &c.

Illud, quod ab eodem Matta num. 4. & 27 seqq. dicitur, posse & debere (de honestate scilicet) dignum ex gremio præferri alteri digniori extra gremium, plures alii defendunt cum Passerino de Elect. cap. 30. n. 145. quia major bonitas unius non debet alteri facere præjudicium arg. cap. ult. III. q. 9. & quia, qui membrum est Ecclesiæ vacantis, ex justitia distributiva majus habet jus ad electionem passivam, quam alius quisunque extraneus d. cap. nullus 13. Dist. 61. junctò cap. obitum 16. ib.

aliquem prohibet, tanquam illicitum & peccaminosum, illum verò, postquam semel est positus, validum esse, &, quod illicitè capitur, licitè retineri permittit; signanter in materia Electionis, in qua, si non prohiberetur Electio minùs digni in concursu dignioris, malè prospectum foret Ecclesiæ, cujus utilitas per digniorem magis magisque promovetur; & tamen, si Electio minùs digni simul redderetur invalida, neque electus absque nota ambitionis consentire posset, neque Electio aliqua ab impugnatione secuta foret. Plane, si Matta id tantum intendat, quòd minùs dignus Electionem, cum de Jure Canonico pro foro externo valida esse decernatur, in foro etiam conscientie possit licitè acceptare, & dignitatem occupare, neque mihi, neque sententiæ nostræ defensoribus contradicit: utpote cum omnes tradamus, solos electores, qui, neglectò digniore, minùs dignum assumunt, peccare, non autem electum, in ejusmodi electionem consentientem.

Quòd verò S. Thomas d. 22. quest. 185. art. 8. allegetur, quasi esset res consilii, non præcepti, eligere digniorem, cum verbis & mente Doctoris Angelici neutiquam consonat. Enimverò d. l. art. 3. (non autem artic. 8.) proponit quæstionem: utrum oporteat eum, qui ad Episcopatum assumitur, esse cæteris meliorem? Respondetque in hæc verba concludendò: qui quemquam ad Episcopatum eligit, non simpliciter cæteris meliorem tenetur eligere, sed quem cæteris magis idoneum ad animarum regimen novit: is verò, qui eligitur, sat fuerit, ut nihil in se animadvertat, quòd præfectorali officio indignus habeatur. Quam conclusionem S. D. cit. declarat & probat: quia ex parte eligentis requiritur, ut talem eligit, qui fideliter Divina mysteria dispense ad utilitatem Ecclesiæ: & ideo non tenetur assumere simpliciter meliorem, quòd NB. est secundum charitatem, sed meliorem quoad regimen Ecclesiæ, qui scilicet possit

fit Ecclesiam & instruere, & defendere, & pacifice gubernare. Unde contra quosdam Hieronymus dicit, quòd quidam non querunt eos in Ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscunt Ecclesia prædesse, sed quos plus ipsi amant, vel quorum sunt obsequiis delicti vel dediti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, & (ut deteriora taceam) qui ut clerici fierent, muneribus impetrarunt. Hoc autem pertinet ad acceptationem personarum, quæ in talibus est grave peccatum.

41 Ex parte autem ejus, qui assumitur, non requiritur, quòd reputet se alius meliorem (hoc enim esset superbum & presumptuosum) sed sufficit, quòd nihil in se inveniat, per quod illicitum ei reddatur assumere præfectoris officium. En! S. Doctor in hoc loco ne verbulò quidem dicit, assumptionem dignioris esse tantum de confi-

lio, sed absolutè requirit, ut assumatur dignior, seu magis idoneus, non quidem qui talis est quoad perfectionem charitatis & pietatis, sed quoad regendam & gubernandam Ecclesiam, prout nos ipsimet explicavimus in præf. cap. n. 278. & seq.

Id tamen, quòd tradit Matta d. l. n. 18. 43 posse quem, si minùs idoneus habeat, plures voces, & magis idoneus pauciores, se conformare pluribus, quando conscientia dicitur, eum, si magis idoneum elegerit, sua voce frustrandam esse, non videtur displicere Passerino de Elect. d. cap. 30. numer. 163. quando adest certitudo moralis, quòd major pars sit electura minùs dignum, & consequenter inutile appareat, eligere digniorem.

QUÆSTIO IX.

A quonam absentes ad Electionem vocari debeant?

44 Resp. esse vocandos à præsentibus, ad quos alias spectat, Capitulum convocare; ita ut Præpositus v.g. vel Decanus primò Capitulares, in loco præsentis, convocet, cum illis tractet de Electionis instituendæ termino; atque deinde suo & totius Capituli nomine absentes ad præfixum terminum citet arg. eorum, quæ alias de Capituli convocatione in lib. 2. p. 1. cap. 4. num. 30. tradita fuerunt. Passerinus de Elect. cap. 11. n. 3.

45 Atque hoc in plerisque locis per consuetudinem introductum esse, firmiter mihi persuadeo; licet Abbas in cap. cum nobis 19. h. tit.

num. 9. advertat, quandoque ex consuetudine ne potestatem congregandi Capitulum ad neminem de Collegio spectare, & tunc putet, necessarium esse, ut duæ partes de Capitulo sint præsentis, ad hoc, ut absentes vocari, & non-venientes in contumacia possint constitui. Quem casum, quantumvis rarum aut impossibilem judicet Passerinus d. l. num. 10. cum ordinariè adest ad minùs unus ex senioribus, cui in defectum aliorum jus vocandi competat; eò tamen concessò, in n. 11. existimat, majorem partem posse monere minorem, & ad comparandù obligare.

QUÆSTIO X.

An & à quo terminus, ad Electionem præfixus, restringi possit?

47 Terminum, ad Electionem præfixum, restringi posse, sat perspicuum est per textum in cap. ne pro defectu 41. de Elect. ubi statutum est, ut ultra tres menses Ecclesia Cathedralis vel Regularis Prælatò non vacet; intra quos (justò cessante impedimentò) si Electio celebrata non fuerit, eligendi potestate pro ea vice Electores privantur. Adeòque indicatur, posse infra tres menses Electionem institui, & sic terminum trimestrem abbreviari. Passerinus de Elect. cap. 13. num. 33.

48 Et licet aliqui justam causam exigant pro termini restrictione; attamen justitia causæ ex hoc ipso apparet, quòd Electores Ecclesiæ vacanti maturè providere intendant. Abbas in cit. cap. cum nobis sub num. 9.

49 An verò solus ille, qui facultatem habet, convocandi Capitulum, terminum restringere valeat?

Resp. negativè. Abbas d. l. Cum enim terminus ille statutus noscatur in favorem Collegii, absque ejus consensu coarctari nequit.

At quoniam præsentis esse debeant de Collegio, ut terminus abbrevietur? Non conveniunt DD. Ego tamen crederem, quòd, si Capitulares, in loco præsentis, convocentur, à parte majori illorum, qui comparent in Capitulo, abbreviatio fieri possit. Nam ex una parte illi, qui præsentis in loco, factà convocatione, non comparent, habentur pro contumacibus, totaque agendi potestas penes comparentes residet. Rota Rom. in rec. p. 6. decis. 36. num. 4. Abbas sub d. num. 9. ex altera verò parte qui è loco absentes sunt, de Jure Communi debent quidem ad Electionem vocari, cætera autem negotia, inter quæ etiam deliberatio de termino Electionis referenda, à solis præsentibus tractari & definiti possunt juxta Glossam in cap. cum inter de Elect. Unde, quòd major præsentium pars statuit, pro eo habendum erit, ac si totum Capitulum statuisset; dummodò nihil in præjudicium absentium statuat, quòd minùs in termino præfixo adest valeant. Rota Rom. in p. 19. dec. 338. n. 11. & 15.

QUÆSTIO XI.

Utrum in præfixo termino Electio debeat necessariò institui?

R Esp. esse quidem in arbitrio Capituli, terminum, pro Electione præfixum, revocare, aut ampliare, & Electionem differre; at dubium solummodò versari in hoc, an majoris partis consensus sufficiat? Ubi tamen, insistendò communibus principiis, hucusque applicatis, id affirmare non vereor; suffultus autoritate Panormitani ad sæpe d. cap. cum nobis 19. de Elect. num. 10. ubi proponit quæstionem, an, si Capitalum jam fuerit congregatum, & pars major, re infecta, discesserit, remanentes Capitulares ad Electionem procedere valeant? Et respondet negativè: quia, dum Capitulum est semel congregatum, statur iudicio majoris partis, & quod pars minor facit, pro non factò habetur;

nisi terminus Juris jam instaret, & trimestre, non securà Electione, efflueret: tunc enim, cum dies interpellet pro homine, nolentes eligere pro contumacibus & absentibus reputantur, totaque Capituli potestas in remanentibus & eligere volentibus conservatur. In casu autem inverso, quò minor pars recedit, & major persistit in Capitulo, hæc in termino præfixo, non attentò minoris partis recessu, ad Electionem rectè procedit: pars enim minor perinde censetur, ac si vocata venire nolisset, dum paria sunt, non venire, vel non expectare usque ad finem arg. cap. certum 43. XI. quæst. 3. cap. de quod vult DEO 1. de Judic. Panormit. d. numer. 10.

QUÆSTIO XII.

Sitne Electio per inspirationem verus modus eligendi; & qualis in ea consensus requiratur?

AD priorem quæstionis partem respondet Matta de Cons. Consistorialib. sect. 19. §. 5. num. 2. & 3. malè & incongruè inter vias ac formas (idem est de modo) Electionis referri: quia in cap. quia propter 42. de Elect. inspiratio non proponitur, tanquam una ex formis, quasi nempe, si velint eligere per inspirationem vel quasi, omnes unò ore in unum convenire debeant, sed tantùm, supposità casus prohibilitate, decernitur, quòd, si omnes unanimi & repentino consensu unum eligant, talis Electio sustineatur. Quò quidem in sensu transmitti potest Mattæ responsio: cum, si strictè velimus loqui, Electio per inspirationem nulli formæ alligata, sed, veluti Divinitus facta, & Electoribus inspirata, exceptionem habet à forma, cæterò quin præscriptà. Quia verò plerique Canonistæ, agentes de triplici Electionis forma, non tam strictè loquuntur, sed illud duntaxat insinuare cupiunt, tres esse vias, seu, ut nos loquimur, modos, quibus aliquis in Prælatum eligi potest; & sic, referendò inspirationem inter modos eligendi, non tam formæ aut certo ritui eandem alligant, quàm potius recensent viam extraordinariam, per quam, non adhibito scrutiniò aut compromissò, nihilominùs ad Dignitates electivas pervenire licet: Et quia insuper, omisà hæc vià, declarari non potest, quisnam per inspirationem vel quasi censeatur fuisse electus: profectò nullam reprehensionem, sed magis commendationem merentur. Alioquin ipsemet S. Pontifex Gregorius XV. censurà (quod absit) vapularet, qui in sua constit. quæ incipit: *debet Romanum Pontificem* anno 1621. 4. Idus Martii edità, in qua Cæremonia Electio Pontificis præscribitur, expressè decernit, S. Pontificem unò tantùm ex

tribus modis eligi posse, quorum primus est, quòd quasi per inspirationem vocatur, quando scilicet omnes Cardinales, quasi afflati Spiritu Sancto aliquem unanimiter, & unà voce Summum Pontificem proclamant &c.

Ad partem quæstionis alteram solidè respondet cit. Matta n. 13. & seqq. in quasi-inspiratione ex communi DD. sententia requiri, ut planè omnes, nullò præcedente tractatu, de certa persona, sive intra sive extra Capitulum, unà voce unum eligant; indeque conspirationes, conjurationes, commendationes, requisitiones procul abesse debere; sicut etiam exigitur, ut omnes simul, & non unus post alium, voces suas explicent: cum aliàs potentiores priùs acclamare, & debiliores post se trahere possent; maxime si antea promissionibus aut minis fuissent ad hoc permoti. Et hinc cit. Author num. 36. talem Electionem in tertio miraculorum genere ponendam ait, ac proinde fabricandum super ea processum non aliter ac super aliis miraculis, citatò in omnibus Fidei Promotore, seu Promotore Fiscali, auditisque de more Prælatorum & Cardinalium votis, absque ulteriori præconiò vel præpositione, à Papa declarandum esse, quòd talis v. g. à DEO electus sit in Episcopum. Interim in cit. con-

stitut. Gregoriana & præscripto Cæremonia dilucidè approbatur Electio per quasi-inspirationem, si aliquis Patrum, clausò conclavi, nullò præcedente speciali tractatu, diceret, Reverendissimi Domini, perspectà singulari virtute & probitate Reverendiss. D. N. judicarem, illum eligendum esse in Summum Pontificem. Putat insuper Matta d. l. n. 31. Electionem per quasi-inspirationem cadere non posse in personam de gremio Capituli, saltem præsentem: quia,

quia, sicuti habetur in cap. quia propter 42. de Elect. §. nisi &c. & omnes tenent, hujuscemodi Electio fieri debet ab omnibus & singulis Capitularibus, nemine discrepante, ita ut, si unus aliter sentiat, non sit Electio quasi-per inspirationem, dum nemo seipsum eligeret

potest: adeoque, si v. g. ex duodecim Capitularibus undecim eligerent duodecimum, & hic alium, uti tenetur, Electio non erit facta ab omnibus. Verùm in hoc passu aliam distinctionem adhibui in præf. cap. n. 373. & seq. ubi vide.

QUÆSTIO XIII.

Quid agendum in Electione per Scrutinium, quando plures reperiuntur schedæ, quàm sint persone eligentes?

Postquam Electores singuli sua vota per schedas in calicem imposuerunt, solent ea à Scrutatoribus numerari, ut appareat, an cum numero eligentium conveniant. Postò jam, quòd reperiuntur v. g. schedæ 22. & non plures sint eligentes quàm 20. quæritur, quid agendum sit?

65 In Electione Summi Pontificis res clara, atque à Gregorio XV. in sua constitutione, quæ incipit: *atque Patris Filii in §. insuper &c.* definita est, quòd scilicet omnes schedulæ comburi debeant, & iterum ad suffragia deveniendum sit. Idem in aliis Electionibus supponere videtur Passerin. de Elect. cap. 18. §. 12. num. 1. etsi tantummodò alleget Glosam in constit. Ord. Prædicat. At, sicuti multa in Electione Summi Pontificis peculiaris sunt, quæ ad alias Electiones ampliari nequeunt; ita etiam satis probabile videtur, schedas non statim comburendas, si Scrutatores deprehendant, unam aut alteram supra numerum Capitularium præsentium adesse, sed potius illas aperiendas, & ubi pro uno, demptis excecentibus, nihilominùs stant vota majora, Electionem publicandam esse; veluti in dato exemplo, ubi sunt 20. Capitulares, & 22. schedæ: si enim ad minùs 13. in Petrum directæ comperiantur, is pro canonicè electo haberi & declarari potest. Card. de Luca de Canon. & Capit. disc. 28.

66 Ratio est: partim quia Electio, quæ in positò exemplo in concursu undecim suffragiorum, tanquam à majori parte facta, censeretur valida, non debet per inutilem duarum schedarum adjectionem, quando concurrunt vota tredecim, vitiari, ex illa vulgata Juris Regula: *utile non debet per inutile vitiari cap. 37. de R. J. in 6.* partim quia generale est, quòd, si formæ cujuslibet actûs apponatur aliquid superfluum, id pro

non appposito reputatur per textus in l. non sunt liberi 14. ff. de Statu hom. l. is cui II. in princ. ff. Quemadm. servit. amitt. l. idem Officium 10. ff. de Edilit. ed. l. falsa 33. §. 2. ff. de Condit. & demonstrat. l. cum, qui 56. §. 1. ff. de V. O. partim quia, si unus aut alter ex Capitularibus de catalogo, in quo omnium eligendorum nomina conscribuntur, duas schedas decerpit ex errore aut inadverentia, neque ipse neque alii culpandi sunt; & si ex malitia id fecerit, ut eum, quem fortè novit consecuturum majora, hòc modò eludat, illius iniquitas non debet in præjudicium tertii redundare: partim quia, si ad Electionem concurrant habiles & inhabiles, & electus, non computatis inhabilium votis, nihilominùs fortitus est majora, Electio subsistit, saltem ubi inhabiles ab inhabilibus ignoranter admissi sunt per cap. ult. de Procurat. & cap. illa quotidiana 39. de Elect. ubi Innocentius n. 2. vers. imò plus dicimus &c. Ex quibus rationibus Fagnanus ad cap. Massa na d. r. à num. 31. etiam in Electione Summi Pontificis valde propensum se ostendit in illam sententiam, quæ docet, exundantiam schedarum non officere illius valori, quando Scrutatorum incurià ante publicationem schedæ non ritè sunt numeratæ, vel certè aliquis malitià post completam numerationem aliæ schedæ ultra numeratas in calicem injectæ; dummodò electus Pontifex habuerit duas suffragiorum partes, superfluis non computatis, veluti si Cardinales sint triginta, & schedulæ triginta tres, & electus fuerit consecutus suffragia viginti tria, vel plura &c. quamquam hic Author determinatè nihil pronuntiet, sed potius optet, ut Summa Sedes, ad obviandum periculis, hanc dubitationem dilucidet. Quo cum voto & ego quoad electionem Pontificiam concludo.

QUÆSTIO XIV.

Quid juris sit, quando una vel altera schedula alba, id est, vacua & sine nomine electi invenitur?

R Esp. schedulam illam pro nulla reputari, nec computari ad numerum eligentium complendum; ideoque, si eligentes sint viginti, & ex viginti schedulis una reperiatur alba, tantùm novendecim eligentes computari, & si aliquis fortitus fuisset decem vota, P. Schmier Supplem. Jurispr. Canonico-Civill.

ta, pro canonicè electo agnosci. Ita Card. de Luca de Regular. disc. 11. n. 7. & 8. Passerin. de Elect. cap. 18. n. 24. & seq. per textum opportunum in cap. in electionibus 2. de Elect. in 6. ubi vota conditionata, alternativa, & incerta penitus reprobantur, & præterea sicuti